

LIBER PRIMUS

AD PANDULFUM MALATESTAM IMPUBERI TUM AETATE ADOLENTEM
ATQUE ARIMINI PRINCIPEM

C1_1 v.1 Illustris veterum progenies ducum
 2 auctura Italicum militiae decus
 3 antiquae, egregia siquid ab indole
 4 veri praescia mens longius augurat,
 5 Pandulfe, hanc tibi quo possumus aptius
 6 conamur, tenues, Aoniis diu
 7 distinctam fidibus tendere barbiton,
 8 qua jam quaeque geres fortiter auribus
 9 intentis moduler prodita posterum.
 10 At nequa dubius forsitan hic roges
 11 ecquidnam meritis addere fortibus
 12 exilis gracili Musa queat sono,
 13 noris quam facile protinus evehant
 14 sese quae modicis edita ab ortibus
 15 sensim per numeros proveniunt suos.
 16 Hanc ergo in reliquum sic meditabimur
 17 exemptam exiguis ducere vocibus
 18 priscorum sonitus inter, ut arduis
 19 jam factis etiam proxima consonet.
 20 Quin et cum superum numine res tibi
 21 crescent eximiae, surget et altior
 22 nobis ex humili spiritus et tuas
 23 per laudes agilis nos feret. Interim
 24 quas haec cumque tibi primitia levi
 25 praeludit cithara, ne fuerit precor
 26 tanti parva quidem continuo mora,
 27 quin aequa accipias aure. Solent prius
 28 neglecta, interius si vacat inspicere,
 29 quondam non minimo post pretio fore.

AD P. GLYCEREN: LAUS POETARUM

C1_2 v.1 Virtute majus nil, Glycere, boni
 2 divi dederunt, ne stolidas opum
 3 vires et insanos honores
 4 assiduo mediteris ore.
 5 Ast ipsa, vatium ni celebris tamen
 6 et clara cantu est, sic latet abdita
 7 abstrusus olim ut fulgor haeret
 8 gemmeus, artificis quousque
 9 detectus acri diradiet manu
 10 videre patres indigetem deum
 11 Aeneam et iidem ipsi superbum
 12 Hectoreis spoliis Achillem.
 13 Sed Musa, longo ne pereant die
 14 nobisque noti tam bene sint quam avis,
 15 deduxit illos nos adusque
 16 carmine perpetuo nepotes.
 17 Est et fides et gratia vatibus ;
 18 est dulcis oris spiritus ; est amor
 19 qualem nec ullus praestat ipsis
 20 omnibus exanimis sagittis.
 21 Invisit Orpheus impia pallidi
 22 ingressus Orci regna, inamabiles
 23 Manes et horrendas tremendi
 24 Eumenides famulas tyranni,
 25 illinc acerbo funere conjugem
 26 raptam reduxit paene, potentibus
 27 vocum Camenis aequae et omni
 28 Threicia modulatus arte.
 29 Quin ipse dura caede per aridos
 30 discerptus agros, Eurydicen suam
 31 jam voce quaerens nil suprema
 32 quam miseram Eurydicen vocabat.
 33 Et nos venustis moribus et tua
 34 virtute capti hac tenui lyra
 35 primisque et extremis pudicam
 36 carminibus Glyceren canemus.

IN OBITU ROBERTI MALATESTAE DUCIS INVICTI
AD CIVES ARIMINENSES CONSOLATIO

C1_3 v.1 Ecquid diminuet graves
 2 hic cantus lacrimas, Pieri, civium
 3 et luctu statuet modum ?
 4 An, desiderii vulnera refricans,
 5 jampridem cicatricibus
 6 obduci leviter coepta, recluserit ?
 7 An ne, ut sera medentium
 8 maturo auxilium fert manus ulceri,
 9 sic quando incipiat dolor
 10 longo jam fieri tempore languidus
 11 tristis lugubribus diu

12 morentum numeris cura levabitur ?
13 Utcumque eveniet, juvat
14 et mi consulere et quaerere civibus
15 quaecumque meis opem.
16 Ergo tam cito sic, optime principum,
17 improvisus abes tuis
18 et nos te ex oculis protinus auferens
19 tantis deseris in malis ?
20 O fallacem hominum spem et fragiles quoque
21 fortunas et inania
22 commenta, in medio quae spatio ruunt !
23 Heu quanto, miseri, antea
24 in fluctu obruimur quam placidum prope
25 portum cernere possumus !
26 Tu nobis reditum pollicitus bona
27 spe mentes dubias prius
28 implesti, sed erant flatibus editae
29 voces aereis tuae :
30 urgebant etenim fata tibi grave
31 et clarum facinus dari,
32 ut scirent homines quae vegeto tibi
33 vires consiliis forent,
34 quod virtutis opus rebus in arduis,
35 quod robur quoque pectori
36 perstaret, quibus heu jam violentior
37 fati vis aderat comes,
38 hunc iidem ut cumulum vix homines opum
39 tantarum inspicerent procul,
40 sublatum ex oculis quaerere pergerent
41 incassum queruli diu.
42 Ex quo namque die visus es acribus
43 formidabilis hostibus,
44 multa caede virum exercitus insolens,
45 virtute eximii ducis
46 confisus simul et robore proprio
47 innixus, penitus tibi
48 prostratus cecidit continuo deum
49 confossus jaculis velut
50 aut vibrante Jovis fulmina dextera.
51 At dum functus honoribus
52 incedis tibi quae munera Pontifex
53 Romanus dederat tuis
54 incensus meritis, heu volucris nimis
55 nobis te eripuit dies,
56 nobis atque tuae, dux bone, patriae,
57 commune Italiae decus
58 et flentis columen militiae, sed heu
59 nobis, heu magis omnibus
60 nobis eriperis jam solitis tuae
61 in spem vivere gratiae.
62 Haec cives ego mecum, haec quoque saepius
63 frustra conquerimur simul
64 curis solliciti pectus inanibus.
65 Sed nullis querimoniis
66 interrupta prius fila tenax colo
67 curat Parca reducere.

68 Ergo perpetuis usque doloribus
 69 angemur miseri ? Neque
 70 in mentem veniet ne bene commodis
 71 nostris alterius vice
 72 ingrati posthabita simus et impii ?
 73 Nam terras simul illius
 74 implevit memores gloria nominis,
 75 hunc ipsum ad superos, ubi
 76 aequaret meritis praemia fortibus,
 77 aeternum stabili manu
 78 ducens asseruit perpetuoque apud
 79 hic aevo fruitur deos,
 80 felix caelicolas inter et arduos
 81 heros eximius duces.
 82 At non ille tamen sic etiam sibi
 83 soli consuluit bene,
 84 sed nos respiciens, ut decuit, quoque
 85 solari voluit suos
 86 tantam qui sobolem, tam similem sui et
 87 quae se tam referat, dedit
 88 nobis, intuitu cuius et altius
 89 actus visceribus dolor
 90 tandem desineret fractus et ocus
 91 hac solamen imagine
 92 perfusos animos laetitia pari
 93 expletos ita redderet,
 94 tamquam nulla prius damna subiverint.

AD GLYCEREN, ARDENTIS ANIMI AFFECTUM DECLARANS

C1_4 v.1 Hujus affectum penitus furentis
 2 spiritus siqua, Glycere, videres,
 3 forsan hunc olim paterere casto
 4 pectore condi,
 5 cum tibi supra caput atque circum
 6 aureos crines volitans, anhelus
 7 pendeat semper semel ut nitenti
 8 sidat in ore,
 9 hic ubi sanctos veneratus ignes
 10 siderum, laeta quibus ipsa fronte
 11 lucidum fulges, nitidos pererret
 12 purus ocellos,
 13 jamque, de sacris facibus furore
 14 percitus, sensim subeat recessus
 15 quosque dum tandem veniat pudici
 16 cordis in aedem.

OPTAT IULIUM ALEXANDRUM CAPELLAM SUB POPULO IN AMOENISSIMA VILLA BERNARDI BEMBI
 VENETI SENATORIS CLARISSIMI SITA AMORIS CURA SOLARI

C1_5 v.1 Quae, Juli, vitreas populus arduo
 2 Bembeas ad aquas vertice tollitur,

3 vivum caespitem obumbrans
 4 intonsa bicolor coma
 5 certatim ut vigeat, tendat et altius,
 6 hanc Nais fovet et nutrit Hamadryas,
 7 haec intus vegeto, extra
 8 puris illa liquoribus.
 9 Quin huc, torret ubi Sirius aridos
 10 fontis et pluvium combibit aera et
 11 Phoebeos subit ignes
 12 fervens Herculeus Leo,
 13 fessus se recipit Faunus et igneos
 14 frondosis relevat Heliadum artubus
 15 nunc aestus, modo lympa
 16 arentem gelida sitim.
 17 Felix deliciis tot locus : at magis
 18 ducentis domini munere cum libet,
 19 huc Paeana canentes
 20 Phoebo Pieridum choros.
 21 Hic te Lesbiaca visere nunc velim
 22 solantem cithara nobilis asperos
 23 digressus Ariadnes
 24 congressusque laboribus
 25 partos innumeris ; quis ego saepius
 26 horrerem metuens, heu tibi, ne gravi
 27 succumbas oneri, ni
 28 quantas ipsa Cupidinis
 29 vires sufficiant spicula noverim
 30 expertus, totiens quae vacuo mihi
 31 haeserunt lateri, utque
 32 inspirat dominae levis
 33 surgentes animos aura nec arduis
 34 in rebus patitur ponere, pendula
 35 sed spe detinet usque
 36 erectos leviter sinu.

REFECTIO APUD AQUULAM IN VIGILIANO NICOLAI FRANCHI PRAESULIS TARVISINI

Cl_6 v.1 Heus puer, mihi cessas
 2 lentus pocula promere ?
 3 Non quibus scatebris vides
 4 arva temperet arida
 5 lympa quae tenui procul
 6 monte desilit arduo
 7 et gratum domino inde
 8 jugis irrigat hortulum ?
 9 Hunc vina propere ferens
 10 curre Caecuba vel Chia
 11 vel quod iis prope collibus
 12 dextro numine provenit.
 13 Prosit hic, age, tristem
 14 curam extinguere pectoris,
 15 curam quae nimio exedit
 16 igne nos penitus leves,
 17 siqua insederit altius.

18 O quae virgineum lavis
 19 pura corpus in unda
 20 Nympha, fas laticem sacrum
 21 ore ducere languido
 22 diluti tibi Libero,
 23 qui Nymphas neque dedecet,
 24 quae fotu gelido sinu
 25 jam lavere perustum
 26 flagrantis Semeles Jovi
 27 ereptum ex utero deum ;
 28 fas sitim abluere interim
 29 dum Phoebi jubar aureum
 30 terris imminet aridis
 31 qui per ampla Leonis
 32 terga nunc rapidus furit.
 33 Mox, vestris ego poculis
 34 refectus citharae manu
 35 admota, facili lubens
 36 voce carmina dividam.
 37 O quis me potior tunc
 38 fundet verba sonantius ?
 39 Dulcem quis melius fidem
 40 grato pollice moverit ?
 41 Dicam perpetuo tuos
 42 ire tramite rivulos
 43 qua loci dominus per
 44 doctos duxerit ordines.
 45 Dicam lucidius vitro
 46 te stratos super hac et hac
 47 iter ferre lapillulos.
 48 Adderem quoque quam levi
 49 haec distinxerit arte,
 50 qui te praecipue colit
 51 Franchus pontificum decus.
 52 Illius sed erit locus
 53 laudis post alius mihi,
 54 umquam si otia libera
 55 nactus vixero vitam
 56 Musis quae sine dulcibus
 57 felle mi sit amarior,
 58 illis at comitantibus
 59 melle sit mihi dulcior,
 60 siquando auspiciis deum
 61 meo hanc duxero nutu.

APOLLINEM PRECATUR, UT FAS HABEAT HORATIUM FLACCUM IMITARI
 ATQUE UTRIUSQUE INTERIM LAUDES CANIT

C1_7 v.1 Dive Latona sate, qui supremi
 2 dulce pertentas animum parentis
 3 aureo plectro et cithara decorus
 4 fratris eburna,
 5 tu, poetarum venerandus auctor
 6 quem novem circum resident puellae,

7 tu salutari revocas veneno
8 corpora leto,
9 tu procul ventura vides tibi que
10 deditus sentit recinentis augur
11 alitis linguas volucrumque pennae
12 praepetis omen,
13 tuque tot late spatium prementem
14 jugerum multa colubrum sagitta
15 sternis : hinc dictos celebrat juvenus
16 Pythia ludos.
17 Hic pedum cursu jaculove primus
18 et potens caestu meliorve disco
19 et catus lingua Aesculeae reportat
20 frondis honorem.
21 Arbore excerptae varia corollae
22 pendulos crines poterant decere,
23 cum tibi non dum propria virerent
24 tempora lauro,
25 quae, tuus quondam juvenilis ardor,
26 ut simul terris fugiendo inhaesit,
27 sola de cunctis decorat recepta
28 teque tuosque.
29 Te Claros nec non Pataraea regna
30 teque natalis tua Delos amplis
31 laudibus tollit, colit et verenter
32 Delphica tellus.
33 Phoebe, qui curru nitido per orbem
34 in die curris semel et vaganti
35 nocte fulgentis radios sorori
36 porrigis ultro,
37 splendidum mentis mihi lumen atque
38 spiritum reddas modulantis oris
39 ut queam gratis fidibus Latinum
40 dicere carmen,
41 quo fere primus docilis modorum
42 Daunius vates meditatatus aequas
43 protulit laudes tibi feriato
44 saecula centum,
45 quove nunc divos puerosve divum,
46 nunc opes regum canit, aut protervae
47 improbis actus stimulis juventae
48 detegit ignem,
49 aut humi prave vitiis gravatos
50 deprimit multoque levat decore
51 aureos mores, fidicen per omne
52 nobilis aevum.
53 Fas mihi gressus avide sequenti
54 illius tantum nemorum per alta
55 progredi, quo me meritis decenter
56 frondibus ornes.

AD DAPHNIN

C1_8 v.1 O qui perpetuo nulli vel amore secundus
 2 es vel honore mihi,
 3 cessure et meritis ullo post tempore numquam
 4 pectore, Daphni, meo,
 5 accipe quid mediter vel qua deducere vitae
 6 quod reliquum est studeam,
 7 ne mihi ad extremum contingat dicere : "Trojo
 8 sero in equo sapimus",
 9 neve novi quicquam acciderit, quod mente prius non
 10 evoluisse queam,
 11 sed valeam, siquid veniat spem praeter, id omne
 12 apposuisse lucro,
 13 sicque utinam faveat divum clementia coeptis
 14 propositisque meis,
 15 ut mihi per dextrum directa est orbita callem
 16 quomodocumque ferar !
 17 Est duplex hominum genus et via bina per illos
 18 ambiviumque itiner,
 19 atque utrumque quidem digna se laude tuetur
 20 praesidioque suo.
 21 Sunt qui pervigiles ad agenda negotia nati
 22 alterum iter teneant,
 23 qui patriae tendant et cognatis et amicis
 24 ferre salutis opem :
 25 magnum opus et cunctis memorabile, quale benigna
 26 tu quoque saepe manu
 27 tractas et celeri praecurris nomine quosque
 28 est tibi cura sequi.
 29 Sunt alii quorum ingeniis est semita miris
 30 altera trita modis,
 31 quis urbis strepitusque forique frequentia certo
 32 grata animo minus est,
 33 atque ideo aliorum nemorum fluviumque recessus
 34 quaerere semper amant,
 35 jam quibus inventis dulci requiete fruuntur
 36 compositisque bonis.
 37 Nec segnes adeo nihil ut mortalibus ipsi
 38 parte sua inveniant :
 39 his sed in arcano gravium solertia rerum
 40 pectore multa viget,
 41 qui validum scriptis multo molimine quaerant
 42 posteritatis opus.
 43 Quos ego, ut ingenii vires patiuntur, amoenis
 44 insequor usque locis
 45 et modo per summos dextrum perducere colles
 46 nitor in alta pedem,
 47 nunc levibus Mysis secreta in valle vagari
 48 laeta per arva juvat.
 49 Qualis nempe tuis modo cum spatiarer in agris,
 50 forte ut eram propius,
 51 his oculis illas vidi properantis aquai
 52 leniter ante caput.
 53 E quibus una, sacro postquam invitaverat acrem
 54 pellere fonte sitim :

55 "Hinc tibi spes omnis vitae quam concupis", inquit,
 56 "atque quietis erit.
 57 Haec varios haustus secum et medicamina plura
 58 unda salubris habet,
 59 tristibus et cunctis animi valet una mederi
 60 sollicitudinibus."
 61 Dixerat, at flexis genibus veneratus adoro
 62 mox ego pronus aquam.
 63 Atque avidus summo tetigi vix ore liquorem,
 64 cum subito invaluit
 65 major vivendi curis procul illa voluntas
 66 et mihi certa magis,
 67 quam mihi dii faxint propriam, ne forte relabar
 68 amplius, ut soleo,
 69 alterius vitae in fluctus agiterque procellis
 70 horridioris aquae.

AD IULIUM ANTONIUM CHEREGONIUM IN DURO AMORE ALDULAE

C1_9 v.1 Juli, rure domi foro urbe miles
 2 annosus positus quiescit armis,
 3 grandaevi renuunt boves aratra,
 4 putris in tenui phaselus alga
 5 secreta pariter senet quiete.
 6 At quae solvet amore me senectus ?
 7 Non, si Nestorei mihi dabuntur
 8 Tithonive dies, misellus umquam
 9 tantorum inveniam modum laborum.
 10 Heu, duro satius fuit tyranno
 11 servire et gemere in tuo, Perille,
 12 tauro condite, Gorgonisve vultu
 13 obdurescere, pascere et rapacem
 14 crebro pectore Caucasi volucrem
 15 quam ferre imperium malae puellae.
 16 Nam solus licet ambules beatus
 17 et pleno teneas amore fastus,
 18 pondus nulla tamen diu puella
 19 habet multivola et maligna et audax
 20 nec sic flamme summoventur undae
 21 ut mentem huic variae premunt procellae.
 22 Obsistam tamen et levem et superbam
 23 prece et muneribus minisque nitar
 24 firmam tempore reddere et benignam.
 25 Sic molli lapides cavantur unda,
 26 sic rubigine conteruntur enses.
 27 Quod si tam validum et potens acumen
 28 non profecerit, attamen protervo
 29 nulla solvet amore me senectus !

AD IULIUM ALEXANDRUM CAPELLAM ET FUSCIUM SODALES

Cl_10 v.1 Laetus et prudens veluti futurae
 2 frugis hoc vobis itiner, sodales,
 3 quis viret frondens docili juventa
 4 robur, inibo,
 5 atque cultorem segeti feraci
 6 cura et omni hunc opera parabo,
 7 cuius Actaeae facili seruntur
 8 ore Camenae.
 9 Forsan effeta quoque jam quid ipse
 10 proferam terra, nisi inane pondus
 11 pectoris circum penitusque sanguis
 12 frigidus obstet.
 13 Alter o saltem medio superbi
 14 pulveris cursu vagus usque rector,
 15 carcere effusis adero sub ipsa
 16 fine laborum ;
 17 fungar in duro vice cotis ense
 18 quae secandi expers valet hunc acutum
 19 reddere et tantum bene gratulabor
 20 muneris acti.
 21 O diem laetam, mihi cum locuto
 22 talibus tecum liceat profari
 23 docte sermones utriusque linguae,
 24 dulcis amice
 25 Jule, nunc Phoebi es meritis parentis
 26 filius dici bene qui senatu
 27 splenduit quondam Veneto sed ille,
 28 gratus Olympo,
 29 nuper, heu, nobis nebulae recessu
 30 candidae raptus superisque sidus
 31 redditum et stellis iterum suoque
 32 sole renidet.

AMARACUS GLYCERE DONO MISSA IPSAMET LOQUITUR,
MULTIS SE OLENTIBUS HERBIS ET FLORIBUS PRAEFERENS

Cl_11 v.1 Ne forte, Glycere, infima
 2 herbarum videar non male olentium,
 3 quae nunc exiguum tibi
 4 devoti venio munus amiculi,
 5 me quondam domino puer
 6 dum mensam variis replet odoribus
 7 dilapsus pede lubrico
 8 haerentem teneris induit artubus.
 9 Hinc illud redolet mihi
 10 perfusum foliis ambrosiae decus
 11 quod non per tenuis crocus
 12 flores nec sua per lilia reddere
 13 Narcissi poterit dolor ;
 14 sed nec purpurei vulnus Adonidis
 15 umquam praestiterit, licet
 16 amentis madeat sanguine Cypriae.

17 Nam motum graviter ferunt
 18 bellorum dominum quod Cynareium
 19 et silvas coleret Venus
 20 mox aprum rabidis fulminibus trucem
 21 misisse ut lueret miser
 22 crudeli juvenis gaudia funere ;
 23 cujus cum gemitum dea
 24 sensisset, tenui, forte ut erat, toro
 25 nudum prosiliens pedem
 26 impegit rubidis sentibus inscia
 27 albertemque prius rosam
 28 permixto exanimis sanguine Adonei
 29 infecit Veneris cruor.
 30 Quae, quamvis Tyrio murice clarius
 31 passim praeniteat, tamen
 32 ne mecum velit illudere naribus :
 33 nam, seu me viridem levi
 34 umbra, seu rapidis solibus aridam
 35 molli contuderis manu,
 36 spirabunt pariter protinus omnia,
 37 quis aulam domini puer
 38 unguentarius aspersit amaracus.

AD P. GLYCEREN

Cl_12 v.1 Aestatem nonam agimus vita
 2 ex quo, mercede tua, contigit
 3 ut non caderem saucius igneo
 4 ictu, quo praesens mihi pectori
 5 amor exitium durus inusserat
 6 atque ipse levatus premerer tamen
 7 hoc perpetuo vulnere, quod mihi
 8 cordem proprio foveo carius ;
 9 quo sine vitam ducere non velim
 10 nec, si imperio orbis donarer,
 11 hoc grato valeam igne carere
 12 qui te non minus acris adurit,
 13 quam mihi flammam verset in ossibus.
 14 Nec tua me tantum species movet
 15 aut varias admiror tantum
 16 quas bene tractas Palladis artes,
 17 nec verborum mellifluus lepos
 18 ingenuo additus usque pudori
 19 pertentat nobis mentem aequae ut
 20 incorrupta et non violabilis
 21 ulla arte fides quaque vicissim
 22 me studiis observas mutuis
 23 ut te paribus prosequor animis.
 24 Talis tu, mea Glycere, semper
 25 haerebis mihi ; teque tuosque
 26 mores istos et virtutum
 27 egregium decus hosque decoris
 28 divini specimen vultus et quae
 29 egeris aut bene dixeris umquam

30 haud fraudavero merita laude
 31 proque virili parte reponam
 32 in bene memorem posteritatem.

AD IULIUM ALEXANDRUM CAPELLAM:
 IN OBITU PARENTIS CLARISSIMI VIRI CONSOLATIO

C1_13 v.1 Cur non, vix quoniam repsimus arduos
 2 colles, in viridi gramine paululum
 3 hac sub non temere, Jule, recumbimus
 4 frondentum nemorum coma ?
 5 Quam circum feriens aura remurmurat
 6 aestivum et varios ingerit auribus
 7 concentus avium prae quibus omnium
 8 contemnas hominum modos.
 9 Sive antrum potius hoc juvat ingredi
 10 cujus jam veneror fronte silentium,
 11 seu frons purus aquis ille sonantibus
 12 ad se nos prius expetit.
 13 Hic en illa feram quae fidibus tibi
 14 jampridem cupio jungere carmina
 15 quae, fallit nisi me nunc animus, levent
 16 aegram sollicitudinem
 17 quae, desiderio te patris optimi
 18 affectum retinens, ipsa quiescere
 19 non umquam patitur, fusa perenniter
 20 artus usque per intimos.
 21 Et quis non graviter perpetuo ferat
 22 jacturam capitis quod foret omnibus
 23 et praestans adeo tamque reduceret
 24 virtutum solidum decus ?
 25 Quis mortalibus hanc numinis abditam
 26 lucem non doleat, quae speciem deum
 27 secum nescioquam ferre tuentibus
 28 cunctis indicium daret ?
 29 Verum utque graves dura revolverint
 30 nobis fata vices quas lacrimis nihil
 31 immutare queas, est aliquis tamen
 32 solandi miseros modus,
 33 vel te praecipuus quem dolor attinet,
 34 cui tristis merito pectoris intimum
 35 semper cura recens dilacerat neque
 36 ullo tempore deserit.
 37 Hunc ergo gemina nunc acie parum,
 38 qui circum tenuis volvitur, aethera
 39 contemplator et hinc suscipe, quam potes,
 40 aeternam superum domum.
 41 Illinc, ut perhibent qui proprius deos
 42 attingunt animis, aetheream scias
 43 mentis sidereae particulam dari
 44 labis corporeae oblitis,
 45 quam, donec minimum libera vinculis
 46 humanis fuerit siquis et integram
 47 servare et vacuum flagitiis queat,

48 huic tandem facilis patet
 49 in caelum reditus, quo solitum loco
 50 aevum perpetuo cum superis agat,
 51 qua per sideream lacteus enitet
 52 mundo circulus orbitam.
 53 Haec sedes pariter continuo piis
 54 decreta est, sed eam praecipue colunt
 55 siqui pro patria mentis acumine
 56 quaevis gnaviter egerint.
 57 Hanc ergo ut tenuit protinus emicans
 58 e putri genitor mole beatior,
 59 tum qui pro meritis talibus antea
 60 illuc intulerant pedem
 61 omnes caelicolis plaudere reddito
 62 pro se quisque student et medium sacro
 63 ipsum concilio restituunt ubi
 64 nectar perpetuum bibat
 65 quod tantum superis ducere contigit
 66 aut iis qui similes se superis ita
 67 in terris statuere ut penitus grave
 68 detrectare jugum queant.
 69 Felices animae quis hominum modo
 70 suspexisse datum est altius ut sibi
 71 non solum, at patriae se quoque et omnibus
 72 natas esse putaverint,
 73 inter quas animis ille benignior
 74 cunctis exstiterat, dum propius fuit
 75 nobis, sideribus nunc magis omnibus
 76 sidus conspicuum nitet !
 77 Haec sunt quae brevibus, Jule, resumere
 78 e multis potui, sed, quoniam super
 79 sunt plura et pariter nos modo surgere
 80 inclinans monuit dies,
 81 tu quod subsequitur, nam potes, his gravi
 82 annectas studio sicque putaveris
 83 nil abs te fieri sanctius ac patri
 84 te sic esse simillimum.

Ad Ursinum Polensem Praesulem Pueri Canentes

Cl_14 v.1 Salve, Ursine, recens historiae decus,
 2 qui scriptis Venetam rem decoras tuis
 3 seu terra, egregius, sive gerant mari
 4 pacem et proelia dicere.
 5 Ad te nos alacres Pieridum chorus
 6 Pimpleo voluit mittere vertice
 7 ut sedem meritam, quam tibi dedicant,
 8 nostris jam numeris scias.
 9 Tu scriptis medius grandiloquis Titi
 10 et Crispi propriis, iudice Apolline,
 11 sic utrumque refert gratus ut omnium
 12 veracem sequeris fidem.

AD LEONICUM THOMEUM: IN ANDRELLEM ET BRENTIUM DEFUNCTOS,
HUNC EXTRA PATRIAM, ILLUM IN PATRIA, SED VIOLENTO ICTU INIMICI

C1_15 v.1 Quo me vix lacrimis loqui
 2 conantem revocas, docte Leonice,
 3 ut qua jam solitus lyra
 4 lusus in juvenes ludere virginum
 5 hac, heu, dura sodalium
 6 lugenti moduler funera naenia ?
 7 Quondam flebiliter canens
 8 aequales teneris ponere compulit
 9 Sappho verticibus comam
 10 dum carae Libitinam celeres nimis
 11 injecisse manus dolet
 12 Timadae. Juvenem haec nuper amabili
 13 nodo nexueram pium
 14 et nunc ipsa pari saucia vulnere
 15 et taedas et hymen parans
 16 sperabat fore felicius omnia,
 17 cum illi Parca fugacia
 18 velox colligere stamina turbidae
 19 furvum Persephones torum
 20 fulgenti thalamo praetulit invida.
 21 Quid mirum faciles nurus
 22 expressa Aeolio carmina barbato
 23 movisse, e propriis feras
 24 silvestres trahere blanda cubilibus !
 25 Non nobis ea vis neque,
 26 quamquam sub tenero pectore nobilis
 27 virtus occidit et labor
 28 immensus referens jam prope praemia,
 29 luctu possumus hanc levem
 30 saltem quo volumus flectere voculam.
 31 Sed quis vos juvenes satis
 32 digne ornaverit ? Heu, quis lacrimis satis
 33 tunc indulgeat, ut gravi
 34 ictu te lacerum viderit, Atticae
 35 linguae non modicum decus
 36 caris ante diem rapte parentibus,
 37 Andrelles, patriaeque ? Quis
 38 non jam firma parum duxerit omnia
 39 humana et lacrimabilis
 40 fortunae miseris subdita casibus,
 41 qui, Brenti, te animal procul
 42 ab dulcis patria, tacte virilibus
 43 vix annis, violentius
 44 efflase audierit, Pieridum sacram
 45 Graiarum et Latialium
 46 et morum pariter nobilium domum ?
 47 Heu mortalibus optima
 48 ut raptim fugiunt ! Vivere qui cupis
 49 felix credere desinas
 50 humanis nimium condicionibus.

AD PANDULFUM MALATESTAM PRINCIPEM

Cl_16 v.1 O grandes referens avos imago
 2 gentilis proprio indolis decore,
 3 virtuti quoque patriae superstes
 4 spes et exoriens decus tuorum,
 5 Pandulfe, en tibi quantacumque nervis
 6 conatur mea barbitos sonoris
 7 offert se nec habet magis quod optet,
 8 quam siquid tibi mulceat quod aurem
 9 interdum moduletur et quod atras,
 10 siquae sint, valeat levare curas ;
 11 si tanto tamen haec potest honore
 12 dignari, superum annuente rege,
 13 ut non nil pariter juvando prosit,
 14 in te non alia licet feratur
 15 gratia nisi qua fidelis olim
 16 in Persam dominum manus potentem,
 17 quae cum nil aliud valeret, illi,
 18 in promptu quod erat, verenter undam
 19 haustam fonticulo obtulit propinquo.
 20 Quod rex non mage vilitate munus
 21 quam rem ex animo atque mente prorsum
 22 metitus pariter recepit illum
 23 affectum bene, qui dedit, remittens.
 24 Qua freti ratione tum corollis
 25 tum pomis quoque vilibusve libis
 26 magnos agricolae deos adorant.
 27 Nec fas est dare pauperem quod ultra
 28 si det est grave : computant et ipsi
 29 tunc census hominum nec est probata
 30 res divis magis ulla quam voluntas.
 31 Hanc autem tibi jam diu dicatam
 32 prae me carminibus fero, sed haec sint
 33 num illi consona, quem velim, decori
 34 exspecto dubius quid ore librent
 35 docto qui facilem colunt Minervam.

AD VENEREM

Cl_17 v.1 Quid mihi tecum, Venus, esse dicam,
 2 quae novo rursus jecur igne tentes,
 3 septimum cujus properavit aetas
 4 claudere lustrum ?
 5 Desinas, quaeso ; Glycere sat ipsa est
 6 una quo memet meus urat ardor
 7 et mihi nil est reliquum quod alter
 8 occupet ignis.
 9 Ille mi totis furit in medullis,
 10 nullius supra venientis undae
 11 impetu sperans minui, nec ulla
 12 crescere flamma.
 13 Tu modo firmum propriumque faxis
 14 munus id quo jam satis et super me,
 15 diva, ditasti, nihil est ut ultra

16 amplius addas.
 17 Quin tibi, nodo religatus uno,
 18 artius multo propriusque semper
 19 haeream quam si varios in usus
 20 differar idem.

AD GLYCEREN

C1_18 v.1 Sedebat alto pectore jamdiu
 2 curis solutum cor, Glycere, mihi
 3 vitamque partitum per artus
 4 corporeos vacuum ferebat,
 5 donec venustis de superis tui
 6 caelestis oris perpetuum decus
 7 huc se per ardentis ocellos
 8 imperiiis gravibus recepit.
 9 Quis illud actum continuo meum
 10 cor me relinquit sedeque nudulum
 11 prima evolat, mox se beati
 12 pectoris in gremium recondit
 13 illicque tecum quin adeo potest
 14 paulatim ut almo depulerit tuum
 15 cor dulce templo, quo meus nunc
 16 spiritus ipse sedet sacerdos.
 17 At exul illinc id simul ac mihi
 18 inane sentit pectus, amabili
 19 festinat ingressum volatu
 20 tam modicis vacuisque nidis.
 21 Hinc ille nobis mutuus est amor,
 22 hinc sensus unus quo, Glycere, modo
 23 pendemus haerentes et alter
 24 vivimus alterius sub aura.

AD SEPTIMIUM ET FUSCIUM THOMEUM :
QUANTI FACIAT FRANCISCI PETRARCAE POEMA

C1_19 v.1 Septimi et Fusci, veterum ac recentum
 2 impari lingua celebres poetae
 3 et mihi multum unanimi sodales
 4 pectore juncti,
 5 lene deductum lepidumque carmen
 6 Lydii vatis dominam canentis
 7 lauream num vos moveat parumper
 8 scire laboro.
 9 Me quidem cultum quotiens volumen
 10 illud est sumptum manibus perenni
 11 et nova quadam totiens legentem
 12 detinet arte,
 13 seu per affectus animum potentis,
 14 sive per miram speciem moratur,
 15 sive detentum dominae beatis
 16 moribus explet.

17 Inter et primos adeo videtur
 18 inseri vates voluisse ut ullis
 19 quippe, vel paucis merito secundum
 20 esse negarim.

AD FUSCIUM THOMEUM: QUAM FELICES SINT QUI, RELICTIS CAETERIS CURIS,
 SE MUSIS DEDUNT

C1_20 v.1 O felix ter et amplius ille
 2 quem nescia curarum mens potest
 3 nectere levibus Pieridum choris
 4 neque onustum multa merce alto
 5 committit pelago neque medias
 6 per caedes vadentem adversis
 7 hostibus opponit truculentis,
 8 dudumque minus populari aurae
 9 regumque inhians opibus Musa
 10 secreto tenuem accipit antro.
 11 Ut juvat hunc pede tangere solido
 12 paucis pervia loca et audire
 13 insolitas voces ac vultus
 14 divorum prope et ora tueri
 15 jamque oriri et crescere vatem
 16 ad bene memores usque nepotes
 17 venturum ampla laude superstitem ;
 18 quale te modo vidimus omni
 19 sollicitudine, Fusce, solutum
 20 fluvii ad Permessi secessus
 21 implicitum choreis Musarum,
 22 dum illuc saucius et male firmus
 23 vix haustum veni ipse salubres
 24 lymphas, animae quibus exstinguerem
 25 ardores et abluerem quod mihi
 26 Amor impressit vulnus, Amor qui
 27 acrius ubi me solito corripit
 28 festinans heu totas huc faces
 29 atque pharetram congerit, unius
 30 vultus Glyceres innixus ope.

SUSCITAT LYRAM AD AMORES PHOEBI CANENDOS, INTER QUOS CORONIDIS AMOREM
 NARRAT ET ESCULAPII ORTUM ET EDUCATIONEM QUEM OPTAT NUNC VIVERE
 UT EI AEGROTANTEM GLYCEREN COMMITTAT

C1_21 v.1 Quis novae tantus mihi mentis ardor
 2 incidit ? Quidnam meditare mecum,
 3 grata testudo, viridi sub umbra
 4 dulce referre ?
 5 Hic locus certe taciturnus undas
 6 propter invitat vitreas et omnes
 7 ecce ventosi cecidere passim
 8 murmuris aurae
 9 et mihi Phoebum tenuem per auram

10 cernere ex alto videor ; quid ergo ?
 11 Anne Phoebeos moniti canemus
 12 forsitan ignes ?
 13 Ut levem cursu celeri secutus
 14 anxius Daphnen retinente dextra
 15 paene praeduro doluit fugacem
 16 cortice cingi ;
 17 ut graves illi Clymene dolores
 18 sustulit natum Phaethonta ; ut ipse
 19 pavit Admeti pecudes agresti
 20 tectus amictu ;
 21 ut suos irae impatiens protervae
 22 acribus fixit jaculis amores
 23 utque detecto dedit ales index
 24 crimine poenas.
 25 Nam deo quondam famulans amanti
 26 detulit lingua volucris loquaci
 27 alter ut grato in gremio teneret
 28 forte Coronin ;
 29 voce qua Phoebos solitus nitenti
 30 excidit vultu color et superne
 31 semper optatam speciem videri
 32 exuit omnem,
 33 quin manu excussae citharae decentes
 34 leveque plectrum digitis et ipsa,
 35 heu nefas, laurus capiti decoro
 36 lapsa pependit.
 37 Acre tum cornu solidumque flexis
 38 pronus incurvat genibus superque
 39 aptat extento arcitenens acuta
 40 spicula nervo.
 41 Mox et intendens oculos in uno
 42 haeret obtutu miseraeque pectus
 43 trajicit, sancto totiens quod ante
 44 presserat ore.
 45 Non leve exemplum ut maneant puellae
 46 usque promissis, fidei nec umquam
 47 termino aberrant, statuit prius quem-
 48 -cumque Cupido !
 49 Ultimos ergo gemitus ab imo
 50 corde confosso dedit icta, supplex
 51 innocens nequid pateretur infans
 52 matris in alvo.
 53 Tum gravis circum invalidos repente
 54 corporis sensus requies oborta et
 55 semita infernas animae reclusa est
 56 dura sub umbras.
 57 At deo tristis simulatque imago
 58 impie nati pereuntis una
 59 atque respersi subiit peremptae
 60 sanguine matris,
 61 illico saeve nimis expetitae
 62 paenitet poenaeque necisque amantem
 63 seque, tam promptas volucris quod aures
 64 praebuit, odit.
 65 Quid sequens dicam ? Medicas ut artis

66 saepe temptarit trepidansque frustra
67 ipse fomento incolumem salubri est
68 reddere nixus ;
69 aut ut immensi memorem doloris
70 indicem prisco spolians nitore
71 inter albentis vetuit volantes
72 vivere corvum ;
73 aut ut exemptis lacrimis acerbo
74 funeri, extremum quod amans valeret,
75 justa persolvens gemitu supremo
76 cuncta replerit.
77 Ille et ereptum lacero parentis
78 ventre Chironi puerum sub alta
79 antra tum vitae celebri magistro
80 misit alendum.
81 Qui simul caro teneris alumno
82 nexibus linguam senior resolvit,
83 imbuit primum leviter virili
84 pectora sensu.
85 Inde mox illi validas potentum
86 laetus herbarum fruticumque vires
87 omnium et totum penitus medendi
88 protulit usum,
89 namque morborum perhibent latentes
90 rite cum signis docuisse causas
91 quave mortales ope laesa possent
92 membra levare,
93 sive opus ferro foret ora putris
94 ulceris scindi, fragiles vel artus
95 erigi, lentove patens foveri
96 unguine vulnus,
97 seu forent fessis graviter, priusquam
98 ferverent aestu interiore, danda
99 quae salutari resoluta miscent
100 pocula succo.
101 Hinc ad occultas reserasse fertur
102 semifer voces aditus et illum
103 saepe per sacras magici tulisse
104 carminis artes,
105 jam quibus fretus juvenis potenter
106 non modo affectis opifex adesse,
107 sistere et fatum valuit, sed intra
108 limina quondam
109 ausus horrendi penetrare Leti
110 inde mortalem scelerum novercae
111 arte discerptum rediens avaro
112 abstulit Orco.
113 O mihi siquis deus annuisset
114 ut vel expertus pater ipse Chiron
115 impotens vel Phoenigena hoc sub aevo
116 duceret annos,
117 quae preces supplex manibus supinis
118 funderem vel quis gravibus tenerer
119 protinus votis utriusque sanctum
120 Numen adorans,
121 ut meae, saevo quotiens dolore

122 angitur, praesto dominae benigni
 123 afforent, quo tunc fugeret revulsus
 124 corpore languor,
 125 qui simul torquet miseram per omnes
 126 fertur heu repens velut anguis, artus
 127 atque mox cunctos populatus aufert
 128 pectore sensus !
 129 Hei, mihi quo tunc animus labantis
 130 victus inspecta specie recedit,
 131 quo mihi defecta abeunt relicto
 132 membra vigore ?
 133 Sed satis, nam me lacrimae, quod ultra est,
 134 jam meae fari impediunt mihique
 135 pene, singultu subeunte, vocis
 136 clauditur usus.

MARCO ANTONIO PASTIO VERONENSI :
 CAUSAS REDDIT CUR DIUTIUS PATAVII MORETUR

C1_22 v.1 Antoni, quoniam Patavi cessare sub urbe
 2 jam nimium videor,
 3 accipe quae valeant hic me per cuncta morari
 4 tempora jure suo.
 5 Huc ego digressus vix e puerilibus annis
 6 patre jubente adii,
 7 quo primum tenerae legi mihi cara sodales
 8 pignora amicitiae.
 9 Quos super adjunxi grata quoque lege fidelis
 10 servitium dominae.
 11 Tum veterum a primo consuevi tempore mentem
 12 excoluisse modis.
 13 An pauca ingressus videor : studiumque et amorem
 14 atque sodalicium ?
 15 E quibus unum umquam siquis mihi dempserit, ambos
 16 dempserit ille oculos.
 17 Quantum est ingratas animo deponere curas
 18 dulcibus alloquiis
 19 aut cum prudentis socios convenimus aut cum
 20 lenibus accipimur
 21 blanditiis grate dominae, quibus omnia nobis
 22 esse minora putes !
 23 Illud et est quantum quodam tenus isse nec altam
 24 extimuisse viam,
 25 qua tantum subeas ut vulgus inaniter infra
 26 repere despicias !
 27 Haec sunt quae longa a patria, dulcissima quamvis
 28 sit, retinere queant.

AD LUCIUM CAMPANUM CAMPUM, QUOD NOLIT AMORIS VINCULIS IRRETIRI,
 VEL SI ID OMNINO AFFECTAT EAM SALTEM DOMINAM INVENIAT
 QUAE IIS CONDITIONIBUS PRAEDITA SIT OB QUAS PERPETUO AMETUR

C1_23 v.1 Laetius vitam perages, amice
 2 Campe, si nullis teneare vinclis
 3 quae parum cautis animis Cupido
 4 tendere suevit.
 5 Dulcius curis nihil est solutis
 6 et nihil contra gravius putandum
 7 quam vago obducta involucris subinde
 8 mente teneri.
 9 Si tibi cordi tamen hoc et una
 10 haec tibi insedit penitus voluntas,
 11 liberum dedi caput et sub arta
 12 vincula mitti,
 13 hanc tibi saltem dominam parato
 14 quae iugo tecum parili feratur,
 15 servitus cui nec gravis esse possit
 16 imperiumque ;
 17 quae nihil prae te cupiat nihilque
 18 alterum quicquam velit atque soli
 19 haereat semper tibi, semper abs te
 20 pendeat uno
 21 et tuis unis oculis ab ipso
 22 corporis toto habitu placere
 23 destinet, cunctis aliis vel una
 24 displicitura ;
 25 auream quae si speciem pudicis
 26 moribus vitae melioris ornet
 27 praeter hanc nolis aliud nec optes
 28 pectore toto
 29 omnis hac illinc tibi sit voluptas.
 30 Cur enim jactent homines inanis
 31 divitum curas mihi ? Cur honorum
 32 debile munus ?
 33 Illud hoc unum est animans quod olim
 34 protulit compar Deus ipse nobis,
 35 quod viris solum bona cuncta secum
 36 ducere posset.

CONSOLATUR P. GLYCEREN, NE TANTOPERE ORIUM CATULUM VITA FUNCTUM FLEAT,
 CUM ILLE AD ELISIOS CAMPOS INTER EGREGIAS VIRGINES VERSETUR

C1_24 v.1 Doctarum, Glycere, gloria virginum
 2 jam tandem lacrimis pone modum tuis
 3 humentemque oculis desine turbidam
 4 nubem tendere lucidis.
 5 Ah quamvis catulus flebilis Orius
 6 non aequa ad superos desierit die,
 7 perstringes placidi pectoris halitum
 8 duris usque doloribus ?
 9 Non hoc ille piis sedibus additus,
 10 non virtus tua, non quae velut aureis

11 inserta irradiat gemma monilibus
 12 pulchro corpore castitas,
 13 non hoc Elysiae blanditiae volunt
 14 quas illi in tenero gramine, dum fugit
 15 diram Pasiphaen, exhibet anxia
 16 casto Penelope sinu,
 17 unde in purpureo flore reconditus
 18 illudit tibi, quae vatis amabilis
 19 facta es carminibus, Laura, recentibus
 20 aeterno celebris die.
 21 Hinc Sappho Aeoliden, hinc lyricam petit
 22 Musam, dum dominae persimilem sagax
 23 quaerit, nunc tacitum blandulus insilit
 24 infernae gremium deae.

AD ADOLESCENTES ET PUELLAS, UT CONNUBIIS INCUMBANT

C1_25 v.1 Mundum principio Deus
 2 ornatum varia lege animantium
 3 ut primum instituit, vaga
 4 implevit generis cuncta cupidine.
 5 Ac quasdam velut abditos
 6 illis igniculos illecebras dedit,
 7 quis capti, similes sibi
 8 dum quisque ediderit, stirpe subaddita,
 9 immensos traherent dies.
 10 Hinc nullo sua discrimine gaudia
 11 complebant faciles palam,
 12 nec norat genitor dulcia pignora
 13 et natum latuit pater.
 14 Hinc rixae miseris non sine caedibus,
 15 hinc mille scelerum modi
 16 cum saepe e patrio sanguine filius
 17 poenas sumeret et pater
 18 nati in visceribus pollueret manus.
 19 At prudens simulac rude
 20 humanum aethera sede Thalassius
 21 invisit genus, illico
 22 viderunt homines impia crimina,
 23 detectis oculis quibus
 24 immixtus pietate emicuit pudor.
 25 Hic gratam juveni sacro
 26 uxorem ac stabili conubio dicans
 27 primus prodidit insciis
 28 quae nati pietas quique parentium
 29 ardor, quam facili viros
 30 uxores colerent lege, quid artius
 31 urbes et populos simul
 32 devincit, retinet regnaque principum
 33 servans ad inopum domos.
 34 Ergo tam nitidis moribus ac piis
 35 totos vos, juvenes, date
 36 et vestris similes edite patribus.
 37 Vos laetae quoque maximi

38 amplexae Hymenis munia virgines
 39 reddentis veteres avos
 40 felices sobolis reddite conjuges.

AD MUSAM

C1_26 v.1 Musa, jam tecum satis hunc in annum
 2 lusimus grata vacui Camena ;
 3 quin parum cessas tenuesque nervos,
 4 diva, remittis,
 5 dum graves imus Danaum per artes
 6 qua pedem docti veteres tulerunt ?
 7 Tam simul parvis humeris nequimus
 8 cuncta subire.
 9 Inde mox largis opibus priorum
 10 forsitan mecum gravior redibis,
 11 cum tibi Graio varius nitescet
 12 barbitus auro.

AD PANDULFUM MALATESTAM

C1_27 v.1 Siquis forte rosae florem tibi cultor agelli
 2 exigui dederit, Pandulfe, aut cerea pruna
 3 aut quae secreta decerpserit arbore mala,
 4 haec tu nimirum non adspernatus aperto
 5 accipies vultu tecumque putabis amici
 6 hos animos ulla non sedulitate minores.
 7 Hac ergo impulsu spe, quas in vallibus imis
 8 Aoniae tenui collegimus ungue corollas
 9 mittimus ut parvi quae possumus utque patentem
 10 repentes per humum. Quod si dignabere sertis
 11 vinciri modicis caput et spiraveris ullo
 12 tempore scandenti dextro mihi numine collem,
 13 forsitan ipse sacro rediens e vertice primus
 14 incipiam lectas hedera contexere lauros,
 15 aurea quae semper vireant tibi tempora circum.
 16 O mihi quid potius contingeret ? O mihi felix
 17 ille dies, mihi cum tua dicere facta licebit
 18 macte tua virtute, simul virtute tuorum !
 19 Nunc vero sat erit si quae, dum seria ludo
 20 miscuimus facili, linquentes tenuia rerum
 21 lusimus interdum placida dignaberis aure.

AD MUSAM DE LAUDIBUS GLYCERES

C1_28 v.1 Hunc quoque extremum Glyceren canenti
 2 diva concedas Erato laborem,
 3 dulce quae nomen retines amoris
 4 sola sororum,
 5 sive Cirrhaei spatiata saltu

6 collis altorum nemorum sub umbra
7 lenibus circum fidibus silentem
8 aera mulces,
9 sive Permessi vitreas ad undas
10 fluminis, cantus referente ripa,
11 molliter divum modularis ignes
12 voce canora.
13 Ergo quas primum repetam pudici
14 pectoris dotes ? Fideine sacrum
15 vinculum quo jam religata nonum
16 nectit in annum ?
17 Vinculum quod nec minimum superba
18 sorte cujusquam poterit resolvi,
19 vinculum quod perfidiae nec ulla
20 arguet aetas.
21 Anne quae casto sedet ore nuda
22 veritas illi probitasque semper
23 atque jucundo pudor et venustas
24 juncta lepore,
25 an prius solers labor atque mentis
26 providae sensus referantur et quae
27 rebus est illi in dubiis adhaerens
28 ardua virtus ?
29 An modus famae metuens malignae,
30 anne quae simplex et hians honori
31 semper est concors famulata puro
32 forma pudori,
33 quaeve sic dulci mihi me rapina
34 abstulit, nil ut reliquum supersit
35 quod meae non ex dominae benigno
36 pendeat ore ?
37 Namque si fas est oculo quid umquam
38 forte mortali superum videre,
39 id mihi quondam intuitu beato
40 contigit uno,
41 versa cum sanctos acies ad ignis
42 siderum, laeta quibus illa fronte
43 lucidum fulget, nihil esse sensit
44 pulchrius usquam.
45 Inde, quis credat, propius tuenti
46 certus in caelum reditus patescit
47 atque facturis iter illud omni
48 latior exstat.
49 Namque si tanta reliqui per omnem
50 luce caelestes aditum reudent,
51 sordidae in terris animae quid ultra
52 fata moramur ?
53 Quin eo laeti properamus unde
54 spirat haec nobis levis aura cujus
55 mirus invitat decor atque aperta
56 limina monstrat ?
57 Ipse, quam longum fuerit super mi
58 vita, divinum jubar hoc sequendo
59 eximar caecis tenebris et atro
60 carcere liber.

LIBER SECUNDUS

RESUMIT LYRAM QUAM SUPERIORE LIBRO,
 A MUSA BREVIS TEMPORIS VENIAM PRECATUS
 DUM AD GRAECOS AUCTORES SE CONFERRET, DEPOSUERAT

C2_1 v.1 En vices gratae redeuntis anni
 2 lege quae divum stabili juventa
 3 debitos terris referunt honores
 4 tempore certo.
 5 Concipit vires genialis ardor
 6 et novis aevi juvenescit horis,
 7 quo semel moto exhilaratur omnis
 8 concitus orbis.
 9 Otio num tu, fidibus solutis,
 10 deditus fies mihi solus et te
 11 fors an immundo paries habebit
 12 pulvere tectum,
 13 barbite ? Haud ista mihi mente clavis
 14 aereis pendes, licet ipse pura
 15 te manu templi positum sub alta
 16 parte reliqui,
 17 cum brevem dulci veniam Camenae
 18 interim paucis numeris petivi,
 19 donec ad dites Danaum recessus
 20 pauper adirem,
 21 unde rimanti penitus quod ultro
 22 se mihi ferret, leviter receptum
 23 id tibi mecum rediens in usum
 24 omne referrem.
 25 En opes ergo quibus ipse posthac,
 26 ut voles, uti poteris beatus ;
 27 en quibus noles aliis nitenti
 28 cedere cultu :
 29 quod nec audacter leviusve dictum
 30 cogites, nam tu nimium nec optas,
 31 et mea pro, quod satis est, virili
 32 ipse paravi.
 33 Cumque tu cuncta statuas pudenter
 34 jure ne credas minimum decere,
 35 quod nec ornatu nimio nec ulla
 36 sorde laborat.

AD IULIUM ALEXANDRUM CAPELLAM: AB AMORE DEHORTATIO

C2_2 v.1 Siquid rerum, Jule, per usum
 2 expertus recte conjecto,

3 quod vaticinari prudentes
4 dixere viri, en ego nunc vates
5 ab nimio hoc vultus pallore
6 deque assiduo pectoris halitu
7 et titubantibus adeo verbis
8 vesanam auguro forte aliquam tibi
9 jam circum praecordia sensim
10 repentem curam, quae dura
11 hac te vivere condicione
12 ipsa volens cogit nolentem.
13 Huic nisi tu principio gnaviter
14 et forti animo obstiteris, frustra
15 post ipse reluctabere cum super
16 ingestus turbarum cumulus
17 te, quam ut valeas ferre, valentius
18 premet, usque adeo largior ingruit
19 fons semel haustus sollicitudinum.
20 Sed non ulla tamen magis acriter
21 pestis vitanda est tibi, quam trucis
22 subigi saeva lege Cupidinis.
23 Haec penitus defixa medullis
24 internis et mordicus haerens,
25 non nisi primos pascitur artus.
26 Haec et mentis nititur arcem
27 tormento excussam illecebrarum
28 perniciosis hostibus ingredi,
29 quos validis conatibus alto
30 deturbes solio est opus et procul
31 inde extrema in parte releges.
32 Atque ipsa dei quotiens improbi
33 species observabitur oculis,
34 aversus contineas visum, et
35 ne te fallax illius aura
36 falsis teneat blanditiis, cave.
37 Interea quae verba salubriter
38 olim, dum forte anxia devium
39 natum quaereret, effata est Venus,
40 si vacat, audi : "O siquis Amorem
41 in triviis errantem viderit,
42 meus est fugitivus, pretium sibi
43 index basiolum Veneris feret.
44 Verum si ad me huc egeris illum,
45 sed multo plura habeas, hospes.
46 Est puer insignis, tu propriis
47 hunc cognosce notis : nam corpore
48 haud quaquam toto albicat, igni
49 assimilis cui lumina flamma
50 fronte micant acri ; mens est mala
51 verbulaque olli suavia, nam quod
52 loquitur non sentit idem ; mellea
53 vox quoque, sed cum incenditur ira
54 est fera mens, fallax, fraudatorque
55 et mendax puer acria ludit.
56 Crinibus intonsis caput ornat
57 osque ferum faciemque protervam
58 exiguasque manus habet, attamen

59 procul ejaculator et in luridum
60 Acheronta ferox usque nec ipsi
61 curat Stygio parcere regi.
62 Membra quidem nudus, sed mentem
63 velatus, avisque advolitans modo,
64 corde viri gremioque puellae
65 insidet ut, spretis ita cunctis,
66 mente levi curaque ferantur.
67 Sunt quoque et arma illi exiguoque
68 ferit arcu parvaque sagitta.
69 Parva sagitta quidem, sed et altum
70 aethera saepe petit, sed et ipsum
71 saepe Jovem, proprio qui numine
72 summumque polum et sidera torquet.
73 Parva pharetra humeris dependet
74 aurea et intus amari calami,
75 quibus hic me quoque matrem saepe
76 sauciat : omnia sunt saeva, omnia.
77 Multoque sibi est saevior ipse.
78 Fax modica est, superat tamen illum,
79 quo clarent paene omnia, Phoebum.
80 Ergo hunc si capias, age verbere,
81 neque tu miserare ; ac si flentem
82 aspicias fortasse, caveto
83 ne te decipiat ; si arriserit,
84 magis attrahe ; si suavia vellet
85 ferre tibi, fugito : sunt noxia
86 oscula et ipsis sparsa labellis
87 toxica ; si tandem tibi dixerit :
88 "Haec cape, nempe tibi haec mea cuncta
89 largior arma lubens" nequid tu
90 contigeris, fallacia munera
91 haec speres, namque omnia Amoris
92 sunt ardenti infecta veneno."
93 Sic dea, quamvis ipsa parens foret,
94 multa diu conquesta est quaerens,
95 donec latitantem illum et multum
96 ambustum face propria comperit
97 nescioquam complexum Psychen,
98 quam, matris praeceptorum immemor,
99 ne cui scilicet umquam vellet
100 se vinclo sociare jugali,
101 uxorem optarat sibi jamque
102 inde pater natam susceperat
103 quae quamquam semper mortalibus
104 aegri non nihil afferat, iis tamen
105 dicitur ampla voce Voluptas.
106 Haec est quae falsis et levibus
107 munita bonis aegritudinum
108 cupidis animis insidiatur.
109 Quam semper veluti dominam pater
110 assiduus comitatur et illius
111 dura stimulos acuit cote,
112 quis agitata nequit mens ullo
113 fine regi, sed lapsa refertur
114 in pejus nullisque tenetur

115 virtutum vinculis, quibus ego te
 116 Jule, velim adstrictum leviumque
 117 immunem sic ducere vitam
 118 curarum vacuumque laborum.

CONATUR NICOLAI SCHOLAM PATAVINUM ABSENTEM
 ET ALIAS RES AGENTEM DOMUM AC DISCIPLINAS, QUAS CALLET, REDUCERE

C2_3 v.1 Saepius de te querimur quod absis
 2 et diu cesses, Schola, vix ut ultra
 3 jam tui desiderium morantis
 4 ferre queamus.
 5 Hic locus nam quid juvat, et quid his te
 6 rebus indignis animum fatigas ?
 7 Altius quo non alius profundum
 8 aethera posset
 9 scandere et cunctos nitidi subire
 10 orbis anfractus vagus et liquentum
 11 ignium solers penitus latentis
 12 quaerere causas.
 13 Nec magis quisquam potis esset oris
 14 spiritu grato graviter referre
 15 quaeque perpendis pariterque magno
 16 pectore promis,
 17 sive terrarum pelagique longos
 18 ambitus tecum studio recenses,
 19 sive metiri numero carentis
 20 pergis harenas.
 21 Sordidis ergo cupidisque rerum
 22 quique victuri satagunt et ullo
 23 vivere ex voto nequeunt beati,
 24 ista relinque.
 25 Nam satis quondam puero benigne
 26 et manu larga superi dederunt,
 27 unde quo posses sapienter uti
 28 esset abunde.
 29 Adde quod tempus placidae quietis
 30 instat ac istis inimica curis
 31 anxiis aetas properata serum
 32 vergit in aevum.
 33 Quin tibi cursu propiore tandem
 34 aureae portus petitur salutis,
 35 laetus ut hoc, quod superest, secundo
 36 tempore vivas ?

AD HERMOLAUM BARBARUM PATRITIUM VENETUM: IN DIOSCORIDIS TRADUCTIONEM

C2_4 v.1 Est repens pedibus parvus humi leo,
 2 quod vernis animal flatibus et levi
 3 tantum vescitur aura,
 4 Hermolae, coloribus
 5 contactum variis, nam penitus refert

6 quoscumque attigerit proxime. At est quoque
 7 huic cognominis herba
 8 terrae versicolor suae,
 9 sive haec cyaneo, seu viridi fore
 10 illam, vel croceo tegmine jusserit.
 11 Haec sed cuncta potentis
 12 naturae prope ludicra.
 13 Quid tu, qui propriis viribus et gravi
 14 verborum serie grandia stirpium
 15 sic miracula promis
 16 gemmarumque valentium
 17 manes paene cavo demere Tartaro ?
 18 His quam perspicuo, nec tenui tamen,
 19 discrimen facis ore !
 20 Illas ut bene frondibus
 21 et ramo et foliis floribus explicas !
 22 O fecunda animi copia ! Quod tibi
 23 narratur, simulatque
 24 doctorum venit auribus
 25 perceptum, hoc adeo non simile est sibi,
 26 ut se sic oculis protinus indicat.
 27 Talem Protea quondam
 28 passum vincla tenacia
 29 pastori species mille putaverim
 30 induxisse novas, horribilem feram
 31 ignemque fluviumque
 32 dilapsum in tenues aquas.

AD HIERONYMUM BONONIUM: NIHIL ESSE PRETIOSIUS TEMPORE

C2_5 v.1 Nulla majoris pretii supellex
 2 temporis parvo fugienti usu
 3 contigit nobis superum benigno
 4 munere divum.
 5 Qua frui siquis scierit, Bononi,
 6 ille praecurrens opibus potentis
 7 divites, solus poterit beatam
 8 vivere vitam.
 9 Seu diu semet stabilem aut caducum
 10 cogitet, nam quid sapiens putabit
 11 esse momentis trepidantis horae
 12 carius umquam,
 13 temporis prono simulatque abuti
 14 parcus cursu statuet, quod inter
 15 multa, quae nobis aliena, nostrum
 16 exstet id unum ?
 17 Cujus immensae penitus rependi
 18 ulla jacturae nequeat facultas,
 19 non opum, non, quos popularis aura
 20 jactat, honorum.
 21 Ergo ne cesses sapienter una
 22 hoc opus plane properare mecum,
 23 nequis evadat tibi punctus aevi
 24 segniter ullus.

AD MUSAM : IN PETRI BEMBI PATRITII VENETI LAUDEM

C2_6 v.1 Ecquod, diva, corollis
 2 istis floridulis tuis
 3 dignum nunc statuis caput ?
 4 Cui tantum in tenero sinu
 5 nunc myrti ac aderae foves ?
 6 Istis cui manibus sacris
 7 tantum nectis odorum ?
 8 Numquid forsitan haec meo
 9 Bemboserta virentia,
 10 dulcis Pieri, praeparans,
 11 nascentem quoque ad ipsa
 12 incunabula tendis
 13 exornare poetam ?
 14 O quam principio indolem
 15 prae se mirifice tulit
 16 ille cum, patris optimi
 17 nuper carmine turbidam
 18 ausus tangere mentem,
 19 admovit solidam ori
 20 heroi sonitus tubam,
 21 vel cum saeva Cupidinis
 22 longum vulnera pectori
 23 affixa indoluit suo,
 24 quod aeternum elegis foret
 25 durae pignus amicae !

PRO NICOLAO FRANCO AD ALPHONSUM RERUM HISPANIARUM SCRIPTOREM, POST
CAPTAM DE INFIDELIBUS URBEM GRANATAM AB INVICTISSIMIS HISPANIAE REGIBUS

C2_7 v.1 Est opus dignum pretio minora
 2 quaeque spernentem nihil haud superbum
 3 aggredi et magnas nisi res potenter
 4 sumere agendas ;
 5 seque post offert merito secundis
 6 laudibus qui, jam benefacta puris
 7 imprimens scriptis, eadem perenni
 8 dedicat aevo.
 9 Qualis, Alphonse, propriis inisti
 10 gentis Hispanae calamis honores
 11 nuper et regum merita decoros
 12 laude triumphos,
 13 ut viris urbem studiisque belli
 14 asperam et multis aliunde sumptis
 15 et suis sese decimo tuentem
 16 viribus anno
 17 regius tandem vigor atque virtus
 18 bellica et prudens superarit astus,
 19 jam quibus sanctae fidei rebellis
 20 quisque pavescit,

21 ut tot ex una Hesperia potentum
 22 principum late populi volentes
 23 signa diversi sequerentur uno
 24 nomine regum ;
 25 utque Mendocae duo tum valentis
 26 roboris summis opibus frequentes
 27 juverint, tum consiliis, subinde
 28 castra secuti ;
 29 denique ut nobis aliquando nomen
 30 perditum tanto retulit trophaeo
 31 sacra majestas docuitque victos
 32 vincere posse.
 33 Heu pudet quantas tulimus referre
 34 jamdiu clades miseri et quod ignis
 35 ille Turcarum opprobrium perenne
 36 dirus inussit,
 37 cum pias quondam violentus urbes
 38 abstulit cunctas Danais et ultra
 39 impius flammam Italas ad usque
 40 protulit oras,
 41 quem neque exstinctum neque se moventem,
 42 perfidi sed jam vomitum furoris
 43 forte spectantem cohibebit unus
 44 victor Hiberus.
 45 Nam simul sanctos superum favores
 46 hausit, ut gentis adeo feroci
 47 praeditas cultu domitare tanta
 48 quiverit arte,
 49 hunc quis ad cunctos dubitet furem
 50 impetus ire oppositum mereri,
 51 summa cui rerum bene cedat omnis
 52 imperiumque ?

AD NICOLAUM PASSERUM PATAVINUM: EUM RECTE BEATUM DICI,
 QUI VITA FUNGITUR QUIETA

C2_8 v.1 Nolis, Passere, mollibus
 2 quemquam deliciis aut opibus levem,
 3 vel quod credulior sibi
 4 insanis inhiet semper honoribus,
 5 jam felicibus hunc, velut
 6 immunem miseris sortibus, inseri.
 7 Nam, sive undique sordibus
 8 angustis premimur seu nitidi sumus
 9 reges, nescio qua tamen
 10 urgemur pariter sollicitudine.
 11 Quod si in propatulum suis
 12 quicumque explicitis condicionibus
 13 optandi dederit vicem
 14 cuicumque, ut libeat, summaque et infima,
 15 cunctorum simulac bonis
 16 immixta exiguis tot mala senserint
 17 et purum penitus nihil,
 18 mox omnes videas sorte domum sua

19 contentos petere, et graves
 20 quoscumque ingenita peste relinquere.
 21 Felix qui, solida potens
 22 quamprimum requie, nec caput anxiis
 23 in rebus posuit neque
 24 plus aequo placidis arduus extulit.

AD SEMET ADHORTATIO

C2_9 v.1 Perge, quid cessas ? Patet hoc aperte
 2 protinus cunctis iter, ut volentes
 3 imus et nosmet properamus aequo
 4 sistere campo.
 5 Atque si moles prius obstet ulla
 6 quominus jam tum videaris apte
 7 ingredi, ne tu tamen abstineto
 8 promptius ire.
 9 Hanc enim mox cum superaris, illuc
 10 Veneris quo non alius patescit
 11 planior nobis locus atque callis
 12 latior ullus,
 13 qua per apricum nemorum vireta
 14 perque florentum medios odores
 15 laetus ad sedes superum beatas
 16 leniter ibis.
 17 Nam semel pressis et humi relictis
 18 noxiis curis, erit aequa posthac,
 19 quae tibi forsitan poterat videri
 20 ardua, virtus :
 21 una quae cunctos aditus recludit
 22 asperos nobis facilesque reddit,
 23 quaeve mortales super astra prorsus
 24 una reponit.

PUER PRO CIVITATE TARVISINA AD CARDINALEM GRIMANUM

C2_10 v.1 Divae, quae lavitis comam
 2 puro Castaliae rore nec alteri
 3 quam Phoebosinitis sacrum
 4 contingi laticem, ducit amabiles
 5 dum vestros medius choros,
 6 vel cum fastidicis plena volens suis
 7 miscet pocula vatibus,
 8 nunc primum teneris ingredior puer,
 9 si fas est, pedibus nemus
 10 vestrisque admoveo fontibus oscula,
 11 fretus quo valeam meas
 12 tanto primitias edere principi,
 13 isti, qui licet omnium
 14 splendens Pontificum praeniteat decus,
 15 utcumque has tenues tamen
 16 numquam (quae gravis est ipsius aequitas)

17 aspernabitur insolens.
 18 Ergo cui pariter, maxime principum,
 19 virtus unanimi gradu
 20 fortunae subit et fertur, et omnia
 21 aequali vice temperat,
 22 salve, nam prius hoc Aonidum chorus
 23 in tanta tibi deditae
 24 Urbis laetitia dicere postulat,
 25 dehinc ut quam stabili tibi
 26 intexant serie stamina virgines
 27 quae fata at superos neunt.
 28 Nam tu cum vario multa peregeris
 29 doctrinae studio, diu
 30 sublimi ingenio functus, et hac gravi
 31 mortales ope juveris,
 32 hinc vitae ingrediens mox iter alterum,
 33 humanum ut foveas genus,
 34 Patrum consilio et munere Maximus
 35 fies perpetuo Pater,
 36 omnis cui merito pareat et libens
 37 omnis quem veneretur et
 38 quem vere solidas continuo vices
 39 illius gerere autumet
 40 qui caelo ut superis singula prospicit
 41 sic mortalibus omnia
 42 aequa pro meritis lance reponderat.

AD CASSANDRAM FIDELEM VENETAM,
 UT SE AD HISPANIARUM REGINAM LIBENTER CONFERAT ADHORTATIO

C2_11 v.1 Una nimirum series, Fidelis,
 2 rebus est concors superis et imis,
 3 qua simul cunctus variat simulque
 4 convenit orbis.
 5 Quae licet paucis soleat patere,
 6 hanc potest plene tamen intueri,
 7 quisquis attente propiora nobis
 8 pensitat aequus :
 9 saepe nonnullos adeo sub uno
 10 dispare tecto videas, ut illos
 11 inter immensi mediam putaris
 12 aequoris undam ;
 13 alteros forsani simili propinquos
 14 more, sed toto penitus remotos
 15 orbe, vis fati parilis volentes
 16 coget in unum.
 17 Hincque tu nusquam Hesperiae potenti
 18 visa reginae cupide vocaris,
 19 summa nam virtus utriusque summo
 20 consonat astro ;
 21 illa regalis specimen decoris,
 22 omnium quot sunt simul et fuere
 23 ac erunt umquam aetherei sub amplo
 24 culmine tecti ;

25 grata tu divis et amica Musis,
 26 virginum splendens decus eminentum
 27 perditum longo revocans ab aevo
 28 una reducis.
 29 Ergo quod felix tibi sors benigne
 30 regiis offert manibus verenter
 31 sume et in tanto superis habeto
 32 munere grates.
 33 Namque vix illuc venies et almam
 34 senties terrae speciem beatae,
 35 mille cum laetum tacite subibunt
 36 gaudia pectus.
 37 Nec tibi speres brevibus referri
 38 quae mihi in mentem veniunt notata,
 39 multa dum Franchus memoranda dulci
 40 ore recenset :
 41 Qui semel Summi venerandus illic
 42 Patris orator, meliora quaeque
 43 mente scrutatus, memori referre
 44 singula gaudet.
 45 Sed nihil felix reputes benigno
 46 et gravi regum magis et beatae
 47 stirpis aspectu referentis omni
 48 indole reges.
 49 Quo tibi quondam dabit ut fruare
 50 nobilis virtus tua cum patebit
 51 in dies major, peragente certo
 52 ordine rerum.

AD MARSILIUM FICINUM FLORENTINUM: IN LIVOREM

C2_12 v.1 Ibam forte salubribus
 2 qua lymphis Aponus perfurit, anxius
 3 quae tantum liquido ignium
 4 nais concipiat pectore, Marsili,
 5 aeternum sophiae decus,
 6 seu vivo tumeat sulphure, seu nitro,
 7 nigrantisve bituminis
 8 interfusa graves aestuet halitus,
 9 sive hinc semita deferat
 10 undas Tartarei fontis ad igneas
 11 diris pervia sontibus,
 12 heu tristis mihi cum belua devio
 13 horrenti subito specu
 14 visa est se celerem tollere, cui manus
 15 et frons et caput et pedes
 16 humani, reliquo corpore squalidus
 17 serpens inseritur vagis
 18 instratus leviter tergora pinnulis.
 19 Huic dextra geminae faces,
 20 quarum mox ubi me contigit altera,
 21 infesto sibi pectori
 22 grassantem subigit saevius alteram,
 23 atque : "Istis", ait, "ignibus

24 hic me perpetuis ardeo, viderim
 25 siquando meritis bene,
 26 numquam laeta nisi nobilium malis".
 27 His sic attonito mihi
 28 ambustoque hominum tunc genus excidit
 29 qui monstro huic penitus dati
 30 despectant oculis omnia lividis,
 31 ut jam nil cupiam magis
 32 quam tecum miseros effugere invidos.

AD HIERONYMUM BONONIUM, PETENS UT QUAE RURI COMPOSUERIT EDAT

C2_13 v.1 Rure quid nobis tot agens diebus
 2 quod diu spiret referes, Bononi ?
 3 Quos legis, quorum tibi summa semper
 4 copia, flores ?
 5 Arte cui doctis manibus magistra
 6 nectis haesuram capiti coronam ?
 7 Quae tibi halantes Pieris per herbas
 8 laeta ministrat ?
 9 Mollibus num te violis moratur
 10 haec, an incumbit rubidis rosetis
 11 et levi veprem folio latenter
 12 jungit acutum ?
 13 Quicquid intexis vacuus petenti
 14 dulcis imperti socio benigne,
 15 omnium tantos tibi qui recessus
 16 invidet unus.

AD FUSCIUM THOMEUM DE IOANNE LAURENTIO VENETO

C2_14 v.1 Sunt vera, Fusci, quae mihi de tuo
 2 Laurente narras saepius ? Ut graves
 3 virumque curas et deorum
 4 consilio meditetur aequo.
 5 Interque summos, implacidum decus,
 6 aestus honorum mobilis jocos
 7 deducat interdum morantem
 8 collibus Euganeis Camenam,
 9 quae laetus olim scandit in Aonas
 10 montes, et illic virgineos choros
 11 invisit audax, et soluto
 12 Castalium bibit ore nectar.
 13 Ergo aut ferenti grandia dextera
 14 tractat potentum munera principum
 15 dulcesque opum fructus honestae
 16 consequitur segetis beatus,
 17 aut, atra fronti nubila differens,
 18 perfundit alto carminis et lyrae
 19 ardore mentem, dein recepta
 20 Pindaricum movet arte plectrum.
 21 Tum vero ceu cum nubibus arduis

22 coactus imber constiterit Noto,
 23 mox ingruit terris ruitque
 24 crebrior innumeris harenis,
 25 sic ille grandi turbine concitus
 26 vivacis aurae fertur in abditas
 27 regumque laudes et deorum
 28 plurimus, atque virum per ora
 29 diffundit illos, et graviter situ
 30 premente denso carmine vendicat.
 31 Quid ? Cum patenti alvo fluente
 32 leniter et vitreo liquore
 33 descendit acris per medias faces
 34 saevae puelli matris et igneos
 35 dulcis juventae secum amores
 36 praeteritos vacuus recenset,
 37 tunc omnis illi molliculus jocis
 38 ridet venustis in labiis decor,
 39 et gratiae ludis, et omni
 40 implicitae veneres lepore.
 41 O quanta puri pectoris est fides !
 42 Quam non medelae vulnificum patet
 43 telum, quod insedit medullis
 44 jam penitus teneris ab annis !
 45 Sic quondam Erichthei filia conjugis
 46 haerebat ardor pectoribus sui
 47 semper, nec umquam corde Procrin
 48 Aeolides Cephalus movebat,
 49 quanvis, Hymetti vertice dum feros
 50 sectatur apros, hunc male cognitum
 51 Aurora quadrigisque raptum
 52 in gremio roseo foveret.

AD IOANNEM REGIUM

C2_15 v.1 Saepius, Regi, veneratus aequa
 2 mente caelestes precor, ut benignum
 3 hunc diu vobis dominum secundo
 4 sidere servent,
 5 mox ut illius meritis honores
 6 debitos spectent semel, et fideli
 7 lancis aequatae trutina laborum
 8 praemia librent.
 9 Nam quis, ut nosti, melius tot annos
 10 res piae tantas fidei peregit,
 11 dum Patris Summi venetas ad oras
 12 nomine degit ?
 13 Mitto quot Romae varia negotii
 14 sorte distractus tulerit referre,
 15 sive quae quondam residens Hiberis
 16 urbibus egit.
 17 Et tamen cessant homines benigne
 18 quae satis numquam valeant merenti
 19 reddere, ingratum genus atque iniqua
 20 mente ferendum.

21 Auguror sed jam prope tempus esse,
 22 si movet veris mihi Phoebus ora,
 23 quo morae hos tantae pudeat juvetque
 24 damna rependi.
 25 Namque jam pastor sapiens propinquat
 26 qui, sacro longe removens ovili
 27 desides, large pecus omne pascet
 28 frugiferentum.

AD INGENUOS ET DOCILES ADOLESCENTES SUOS

C2_16 v.1 Quam virtus nihil ardui
 2 praestet, veridico discite carmine,
 3 quod nunc Pieridum sacris
 4 vates ex adytis profero virginum.
 5 Haec Fati horribilem metum
 6 instantis minuit, sternitur huic dolor,
 7 hac vincit labor omnia,
 8 nec fervens refugit tundere vividum
 9 Hydrae multiplicis caput,
 10 sed qua se innumeris anguibus impeti
 11 sentit, qui prope pullulant,
 12 hac instat penitus parte ferocior,
 13 donec jam fera saepius
 14 victrix Herculeis concidat ictibus.
 15 Sic vos, o juvenes, mihi
 16 intentis operam nunc date viribus,
 17 et gratam sibi singuli
 18 partem viperei verticis amputent.
 19 Hic vatis subeat vicem,
 20 primas siderei muneris occupans ;
 21 alter rhetoris impleat
 22 humano officium quolibet altius ;
 23 nec qui lucida sidera
 24 solers inspiciat desit, at huc quoque,
 25 causas cum speculabitur,
 26 haec ad perveniat munera particeps.
 27 Recta pergite semita
 28 hac omnes igitur, dux ego sedulus
 29 vobis non abero uspiam
 30 quo virtus hilares unica duxerit.

CRETICUM CAMERTEM HORTATUR, UT IN PATRIAM REDEAT
 POST PERPESSOS MULTOS LABORES
 DUM UTRANQUE LINGUAM AC DISCIPLINAS PERDISCIT

C2_17 v.1 Rebus haerendo propius, quid ipsae
 2 polleant intus sapiens futurus
 3 discat et vires utriusque linguae
 4 calleat, optas.
 5 Quae tibi quondam ratio ut suborta est,
 6 tum truces audes pelagi procellas

7 temnere et Graias sitibundus urbes
 8 pergis adire,
 9 atque jam dulci patria remotus
 10 hic volens septem remoraris annos,
 11 unde quaesitum meritis reportas,
 12 Cretice, nomen.
 13 Inde sermonum rediens honustus
 14 dotibus, doctos Patavi recessus
 15 et penum rerum cupido beatam
 16 pectore quaeris,
 17 cujus ut fias satur, ecce rursus
 18 hic tibi externa est domus, inque cursus
 19 alteros septem melioris aevi
 20 ducitur aetas.
 21 Ergo jam plenus patriaene curam
 22 forsan induces animo ? Et subibit
 23 jam tibi grato locus unde primos
 24 sumpseris ortus ?
 25 Hic suo nam te sibi jure sancta
 26 asserens dextra revocat : quid ultra
 27 tendis ? Incassum properas, et istic
 28 terminus haeret.
 29 Dulcibus sic dum teneor potentum
 30 ipse Musarum studiis et otii
 31 debitus dudum patriae duo bis
 32 lustra reposcor,
 33 hic ubi, laevum latus urbis urgens,
 34 fertur amoenae prope litus orae
 35 Caesarum subter monumenta leni
 36 Arimini unda.

AD NICOLAUM PASSERUM DE THEODORO GAZA

C2_18 v.1 Hoc quodcumque vides, undique si caput
 2 flectas, sidereo vertice contegi
 3 Parcarum tenet arto
 4 nodo serva necessitas.
 5 Nam qua Romulidas Albula perfluit,
 6 illum, quem totiens laudibus omnium
 7 miramur, Theodorum
 8 audire hic memini senem.
 9 Is rerum mihi tum perpetuis pares
 10 causas principiis dicere, sic nihil
 11 Fati sorte potentis
 12 immune esse, sed omnia
 13 aeternis superum obnoxia legibus.
 14 Hinc Solis varios et Triviae graves
 15 defectus, et Olympo
 16 certas sideribus vias ;
 17 hinc quae terribili saeva Jovis manu
 18 mittantur pluvia grandine fulmina
 19 terrarumque tremorem et,
 20 nautis exitium insciis,
 21 incertis tumidum temporibus mare.

22 Haec namque aetherio mentis ab halitu
 23 divinae intus habere
 24 infusum, atque per arduam
 25 molem sese agitantem undique spiritum
 26 aiebat, tenues unde animantibus
 27 vitae, quaeque sub altum
 28 marmor, quaeque vel aetheris
 29 vel terrae vario munere vescimur.
 30 Quin inde ingenio, qua sapimus, Deum
 31 ipsorum quoque puram
 32 nobis particulam dari,
 33 quae quondam in numerum sideris, artubus
 34 terrenis resoluta, evolet et sua
 35 caeli parte residat
 36 simplex, nec tenebris neque
 37 jam tunc corporea subdita carceri.
 38 Sic nobis liquido, Passere, flumine
 39 verborum ille solebat
 40 qui, jam caelicola ante quam
 41 humanum et male mortalibus additum
 42 torporem exueret, continue tamen
 43 versabatur in ipsis
 44 terris, sidereum decus.

CLYCIAE AD SOLEM, SED METAPHORICE AD MUSAM

C2_19 v.1 Vertimur quo tu, sacra lux, perenni
 2 duceri cursu sequimurque cunctis
 3 paene momentis, tua dum renident
 4 lumina terris.
 5 Et tuos, donec superis aberras,
 6 nocte, quam longa est, reditus moratae,
 7 mane mox omnes iterum ad beatos
 8 flectimur ortus.
 9 Unde quod passis foliis viremus,
 10 quod comam grate violae rubentis
 11 aemulam passim gerimus, quod ipsae
 12 vivimus abs te
 13 provenit, quae nos radiis superne
 14 suscitatis tantis, et humo refotas
 15 quantulas parva prohibes jacentis
 16 una perire.